

I. N. 7.

## DISPUTATIO THEOLOGICA

*De*DEFENSIONE JEHOSUÆ,  
CÓNTRA SATANAM.*Ex*ZACH. III. *vers. 1. & 2.**Qvam,*

DIVINA AUXILIANTE GRATIA:

CUM CONSENSU ET APPROBATIONE VENER. AMPLISSIMÆQUE FACULTATIS THEOLOGICÆ, IN REGIA UNIVERSITATE ABOENSI.

*Ante introductionem suam ad Professionem Theol.  
Extraordinariam,*

Publicæ disquisitioni submittet,

JOHANNES GEZELIUS, J. FIL.

*S. Theol. Licentiat.**R E S P O N D E N T E*JOHANNE HEDBERGIO,  
Wesmanno.

IN AUDITORIO MAJORI,

*A. d. XXII. Aprilis.*

ANNO CHRISTIANO M DCLXXVI.

23

A B O Æ,

CELSISSIMO ILLUSTRISSIMO<sup>QUE</sup>  
COMITI AC DOMINO,

DN. PETRO Brahe/

COMITI IN Visingzborg/

LIB. BARONI IN Cajana/  
DOMINO IN Ridboholm/ Lindholm/  
Brahelinna ET Bogesund/ &c.

SACRÆ REGIÆ MAJESTATIS REGNI<sup>QUE</sup>  
SVEO-GOTHICI SENATORI SUPREMO, AC  
DROTZETO; NEC NON WESMANNIÆ, MON-  
TANORUM ET DALECARLIÆ IUDICI PRO-  
VINCIALI: REGIÆ<sup>QUE</sup> ACADEMIÆ  
ABOENSIS CANCELARIO  
MAGNIFICENTISSIMO.

VITAM ET FELICITATEM!

## ILLUSTRISSIME COMES.



Ulmorum Heroum magnitudinem, q̄i  
hujusmodi cultu litterario venerari cu-  
piunt, illam ex consuetudine, ipsoq̄e  
submissionis affectu, natam sibi sentiunt  
normam, ut non nisi multorum foliorum  
libros Magnatibus offerant, paucorum ve-  
ro verborum sermone ILLOS alloquantur.

Si illam cuiuspam excellentia, strictam jubeat esse regu-  
lam, jubet certe fastigium Illustrissimæ Tuæ Celsitudinis;  
adeoq̄e a prima istius legis parte, non levi temeritate  
hanc nunc facturus essem exceptionem, si solum invi-  
tasset Indulgentissima Tuæ Bonitas, & non ad eandem me  
cogeret benigna Tuæ, de qualibuscunq; meis laboribus,  
ordinatio. Postqvam enim DIVINA disponente Provi-  
dentia, & annuente Clementia Sacrae REGIÆ Majesta-  
tis, ita mecum agere voluit Illustrissima Tuæ Celsitudo,  
ut cum R:mo Parente meo, operi Biblico omnem nava-  
rem operam: vidi mihi per plures annos non dari oc-  
casionem, publica confessione testandi animum meum de-  
votissimum gratissimumq;e propter summa Tuæ in me  
Beneficia. Verecundum itaq;e ex tenuitate scripti timo-  
rem, superavit impetuosum desiderium agendi q;omo-  
docunq;e gratias. Hoc itaq;e exile, sive primitiarum  
sive speciminis nomine, Celsitudini Tuæ offero; & inde  
parvitati sperans veniam, q;od paucissimorum dierum

laborem operi graviori, TUA voluntate imposito, substraxerim. Laudes Illustrissimæ TUÆ Celsitudinis in alma hac Universitate per quater novem annos celebratas, ego in illa novus, pia mente suspicio, quoniam nunc verbis exponere non possum. Votum, cui semper relictus locus, negligere nunquam debeo. Deus ter Optimus, Maximus, Celsitudinem TUAM diu incolarem præstet, in summum Augustissimi REGIS, regnique Sveo-Gothici usum! ac quod omnino addere debeo: Véritas DUS Illustrissimam TUAM Celsitudinem, felici ac diurna vita nobis servare, ut ex cura TUA de labore sacro, in salutem Ecclesiæ CHRISTI Septentrionalis, inchoato, deque illo perficiendo, tanta diu superstes fruaris gloria, quantam optimus hujus seculi, piissimusque in Imperio Germanico Princeps, per ERNESTINAM sua sibi adquisivit! Ita voveo,

### ILLUSTRISSIMÆ TUÆ CELSITUDINI

A B O E  
15. Aprilis  
ANNO  
M DC LXXVI.

*humillima devotione  
addictis.*

JO. GEZELIUS. J.F.



## PRO O E M I U M .



Vamquam ea erat, Lector Benevole, excretionis hujus Academicæ occasio, ut in scribendo parum, in eligendo vero argumento, minus temporis mihi sumere potuerim; fore tamen spero ut pro equitate Tua, non alienam a temporibus nostris, judices considerationem defensionis Jehosuæ contra Satanam, divinitus per Zachariam revelatae; licet in hac brevitate persequevi non liceat ea quæ scribi debebant. Vix enim homo pius est, cui non summe necessarium sit ac volupe, qvovis modo ex armario spirituali, animum suum nunc parasse, contra Satanae artes & vexationes. Adeoque nec minoris utilitatis erit, vera fiducia potentiam DEI, meritumq; ac victorias Jesu nostri intuendo, etiam illud medium repellendi Satanam perspicere, qvod & divina sapientia, Filius DEI, & Angelica prudentia Michaëlis, suo exemplo ac prospero eventu, nobis commendarunt. Est & ex nomine Zacharia etymo, insignis consolationis observatio, quam quoque annis ab hinc unum de triginta felici omne, proxime ante finitum triginta annorum bellum, pius in Zachariam Commentator tempestive adhibuit. Zechariah notat eum qui Domini recordatur, in presenti bellorum tempestate, inter hostes nostros, Iste in curribus, & illi in equis, sed nos nominis Domini Dei nostri recordamur; hi incurvant se & cadunt, sed nos surgimus ac consistimus. Psal. XX. 8. 9. Locum Zacharianum, B. C. D. jam sine omni interpretum collatione vel examine proponeamus, quando inter illos quidem nulla fere hic est discepantia.

Zachar. III. v. 1. &amp; 2.

**E**T ostendit mihi Iehosuam sacerdotem magnum, stantem  
coram Angelo Iehovæ, & Satan stabat ad dextram ejus,  
ut adversaretur ej. Et dixit Iehovah ad Satan: increpet  
Iehovah te Satan, & increpet te Iehovah, qui elegit Ieru-  
salem: Nonne hic torris est crepus de igne?

## §. I.



Rima sunt ista verba *quartæ*, ut com-  
muniter recensent, *visionis*, quam  
habuit Zacharias, Filius Barachiæ fi-  
lli Iddo, *Zachar. I: 1. 7. Esdr. V: 1.* Di-  
versus omnino est hic Propheta, a  
Zacharia filio Jojadæ, de quo, *2. Par.*  
*XXIV: 20. 21.* Nec constat illum e-  
undem esse, cuius occisionis reos fa-  
cit Judæos, *Matth. XXIII:*

*35.* - Etiam si hic apud Evangelistam alias esset a filio Joja-  
dæ. Tempus visionum ipse Zacharias noster indicavit, *c. I:*  
*7. 8.* videlicet, annum secundum Darij, mensim undecimum,  
qui vocabatur Schebat, diemq; ejus mensis vigesimum quar-  
tum. Mensim Schebat maximam partem, Januario nostro  
respondere censem Chronologi: Et quia jam ultra medi-  
um mensis protracta iterata revelatio, in id tempus, quo  
incidit Februarius, transscribenda erit visio. Majori non nihil  
difficultate de anno quæritur, quem tamen distinctè notarunt  
*Zacharias, & Esdras c. IV: 24. & V: 1.* Non enim inter o-  
mnes convenit, quis Darius ille sit. *Darium Nothum* hic  
collocavit *Scaliger*, eumque sequuntur *Calvisius*, *Helvicus*,  
& recentiorum pluriq; inter quos *B. Tarnovius*, *ad Hagg.*  
*I: 1.* secundum illos accedit hæc visio, circa finem anni Mun-  
di

*Quando & quomodo hæc vidit Zacharias.*

di 3527. Verum pro *Dario Hystaspide*, ex repte intellectis historicis sacris, riteque collatis cum aliis, nec non e consensu veterum Hebræorum, Græcorum & Latinorum, rationibusque non contemnendis, felicius pugnant alii: eritq; *Darij Hystaspidis annus secundus*, quo hæc visa sunt, annus mundi 3485. secundum calculum *D. D. Calovij*. Nos porro propatorum verborum ordinem seqvemur.

§. II. *Et ostendit mibi*. plene dicitur c. I. 20. *Et ostendit mibi Jehovah*. Eratque ostendens *Filius Dei*, tunc se manifestans in forma humana, c. I. 8. & II. 1. Et hic sæpius *Homo & Angelus* vocatur, c. I. 10. 11. &c. Ille divinâ suâ potentia, expresse & sensibiliter conspicienda hæc exhibuit Zachariæ, modo illo, quo Prophetis visiones Divinæ contigerunt. Adeo ut oculis suis percepit ostensa in nocturna visione, c. I. 8. Non tamen *dormiens*, ut *Drusius* censet ad c. IV. 1. vel in somnio, quomodo & Deus sæpe revelationis beneficium dare convevit, Gen. XXIX. 12. 16. conf. Num. XII. 6. Sed *vigilans* vidit. Id manifestum ex *levatis oculis*, c. I. 18. ubi mox, v. 20. subjungitur, *Et ostendit mibi Jehovah*. Sic c. II. 1. *Levavi oculos & vidi*. Ac seqvitur eodem visionum ordine in verbis propositis: *Et ostendit mibi*. Finita quoque hac visione quarta, fatetur Propheta, c. IV: 1. Angelum se excitasse, non dormientem, sed *sicut virum, qui suscitatur a somno*. Tanta quippe erat visionum sublimitas, ut in illarum contemplatione se fatigans Propheta, admiratione & stupore, quasi somno, correptus fuera, quod Danieli quoque contigit, ut ipse c. LX: 17. 27. & X. 8. 9. 10. notavit, & ex illo plurimi ad *Zachar. IV: 1*. Fuit itaque perspicua admodum visio, de qua hic *Zachar. III.* non imaginaria; nec *oculis saltem mentis* percepta; quo sensu *Belga* illam allegant in notis ad Gen. XLVI: 2. ac distingvunt ab illa, quæ *oculis corporis* facta est, Gen. XV: 5. Verum ipsi sibi contradicunt, dum ad *Zach. I: 9.* fateri coguntur, *res istas externe & sensibiliter hic apparuisse*. Non equidem dicimus tam

naturale visus objectum habuisse Zacharium, ac habuit Abramam, stellas intuendo; fuit tamen ipse videndi actus, verus & non imaginarius. Præterea ex emphatica Prophetæ locutione, quæ occurrit c. I: 9. 13. 14. 19. & II: 3. & IV: 1. 4. 5. & V: 5. 10. & VI: 4. cum dicit Angelum locutum fuisse in se, id urgeamus, quod Angelus ille, qui erat Verbum DEI hypostaticum, peculiari illuminationis gratia & gradu, interius afficerit mentem Prophetæ, quo & visiones illas divinitus concessas esse sciret, & earum significationem asseveretur, ac verba, quæ vel illi, vel aliis in visione dicta erant, ita dicta fuisse, certo mentis lumine perciperet. Quod rectissime probat B. Tarnovius contra Tremellium ex phrasí, *Iste Angelus iste loquens in me*, & ex Num. XII: 2. 8. 2. Sam. XXIII: 2. Hos. I: 4. Verum, quod pro hac sententia Kimchium laudat, ita habendum: Agit Rabbinus de locutione, *videre te faciam*, Zach. I: 9. probatque idem significare quod *audire te faciam*, ex permutatione sensuum, Gen. XXVII: 27. Exod. XX: 18. Sic quoque ex illo R. Salomon ben Melech in Michlal Jophi. Illud vero *Angelus loquens in me*, nude exponit ex Zach. I: 7. fuit verbum Domini ad Zacharium. Obiter ad primum propositorum verborum vocabulum, & hoc observamus, quoniam Prophetæ visionem narrat, hue quoad rem ipsam non respicere voluisse Judam, dum in Epistola sua v. 9. monitum elicit ex historia, de re vere gesta circa corpus Mosis, sive dicamus Apostolum illam ex peculiari revelatione, sive aliunde, habuisse. Graviorem censuram meruit audacia Beze, qui textum originalem sollicitavit, pro corpore Mosis, corpus Josuæ substituendum suspicans.

S. III. Ostendit vero Dominus Zachariæ, *Jehosuam sacerdotem magnum*; Hic cum Serubabele principe tribus Judæ, populo è captivitate Babylonica redeunti, praefuit; Nomen ejus, *Jeschua filius Jozadak* scribitur, Esdræ II: 2. & III: 2. & X: 18. Nehem. VII: 7. & XII: 1. At apud Haggæum *Jehoschua*, filius *Jehozadek*. Hag. I: 9. I: 12. 14. & II: 3. 5. Et similiter apud Prophetam

tam nostrum, c. III. 1. 6. 8. 9. & VI. II. Qvoad significationem, exiguam observant interpres differentiam, hanc tamen variandi libertatem non sine ratione fuisse, conjicere licet; scilicet, qvod illi historici, eum cum populo *salutem* ac liberacionem, *accipientem* considerabant. Prophetæ vero amarunt scripturam magis *hiphilicam*, ut sic etiam qvoad notionem *dandi* ac *præstandi salutem*, propiori typo *Salvatorem* nostrum præfiguraret. *Sacerdotem* vero *summum*, sub illis quarta visionis momentis, ostendere voluit Deus; qvoniam solliciti admodum erant Judæi, & tantum non desperabant de solennis & antiquis cultus restitutione, qvandoqvidem videbant sacerdotium suum, non solum externa carere magnificentia, qua ante captivitatem fulgebat, sed & qvod illud gerentes, non uno peccatorum genere polluti erant; huic *scandalu*, ut ajunt commentatores, occurrere voluit Deus. Et postquam superioribus visionibus, Ecclesiæ libertatem & amplitudinem declaraverat, nunc Iehosuam sacerdotem summum, stantem coram Angelo, accusatum a Satana, defensum a Jehova, vestibus sordidis exutum, ornatumque splendidis ac habitu sacerdotali, divinis postmodum monitis ac promissionibus animatum, in visione ostendit Zachariæ, ut ea rursus in nomine Domini, Sacerdoti summo totique Ecclesiæ exponeret, quo multa in exhortationem & consolationem discerent.

§. IV. Vedit Propheta, *Iehosuam stantem coram Angelo Domini*. Magno consensu senioriores interpres, veteres & recentiores, hic per Angelum Domini, intelligunt Angelum increatum, *Filium Dei*: *Angelum facierum Domini*, Esaj. LXIII. 9. *Angelum fæderis*, Malach. III. 1. Id & hic ad Zach. III. notatum in *notis Bibliorum vernaculis*. Et ne opus sit pro illa veritate ex præcedentibus Zachariæ capitibus, vel scripturis aliis, cumulare probationes, id omnino evincit ipsa haec visio quarta: Nam v. 2. in casu recto vocatur *Jehovah*: *Et dixit Jehovah ad Satan*. Angelis reliquis imperat, v. 4. *dixit ad stantes ad facies ejus*, dicendo

*do: removete vestimenta sordida ab eo. Peccata remittit: dixit ad Jehosuam: Vide, transire feci a te peccatum tuum; qvod ne quis ministerialiter ab eo fieri potuisse, dicat; veram iustitiam & sanctitatem donat, sub typo vestium mutatoriarum, conf. Esaj. LXI. 10. Apoc. III. 18. Ac utrumque sibi, ut auctori tribuit. Michaëlem hic intelligunt Judæi & Pontificiorum plæriqe, qvibus suo more, suffragatur Grotius, provocans ad Epist. Jude, v. 9. ubi Michaël Satanæ se opponens, eadem verba pro tulit, qvæ hic apud Zachariam seqvuntur: ἐπλησίου σοι Κύρος, increpet te Dominus: qvoniā τὸν ἐπόμησε καὶ σὺ ἐπενεγκάντος Θεοῦ. Non ausus es judicium blasphemiae inferre. Unde Jud. v. 9. communiter intelligunt, de Angelo creato, est namque modestia illa Angelica, maiestate Filij Dei inferior, ut alicubi ait B. Danhauerus. Eqvidem Michaël quoque dicitur Filius Dei, in scripturis, Dan. XII. 1. ut alia magis controversa loca non addamus: Ideo D.D. Calovius, Bibl. Illustr. Tom. I. pag. 937. Coccejum & a lios respiciens, ait: *Id extra controversiam positum non esse, Michaëlem apud Judam esse Angelum creatum.* Verum euim vero, pro ratione probationum, qvas hactenus vidimus, tuto rem existimamus sententiam communem; & ne ex illo loco Jude, huic nostro præjudicium fiat, sufficit dixisse: Aliud a Juda scribi, aliud a Zacharia visum fuisse. Et cum creatus Angelus sufficeret ad defendendum corpus Mosis, hic majorem gratiæ & potentiaæ suæ spem dare voluisse Filium Dei, toti Ecclesiæ Judicæ, dum ipse se sistit defensorem Jehosuæ. Dicis cum Grotio, at plus ille non dixit Satanæ, qvam dixerat Michaël, Mosis corpus defendens, *increpet te Dominus?* Verum non hic legitur, qvod plus dicere ausus non fuisset, qvod de Michaële certum est; sed qvia Filius Dei sententiâ hanc tulit adversus Satanam: *increpet te Dominus.* Credendum id hic locum habere, qvod ipse ait: Job. V. 19. *Non potest filius facere a seipso quicquam, nisi quod virerit Patrem facientem.* Non certe qvod minorem habeat dignitatem vel potentiam, qvia unum sunt, Job. X. 30. sed propter unita-*

unitatem essentiæ & voluntatis, *Joh. V. 21. 30.* Omniaque referenda vult Filius in gloriam Patris, *Job. II. 38. & IX. 3. Phil. II. 11.*

§. V. Phrasis, *Stare coram Angelo*, vel *ad facies Angeli*, a multis exponitur de functione sacerdotali Jehosuæ, citantqve *Psal. CXXXV: 2.* At ibi in Hebræo alia verba sunt. Alii cautores, inter qvos *Tarnovius*, adferunt *Deut. X: 8. 1. Sam. XVI: 22. 1. Reg. XVII: 1.* Nos sic sentimus: Esse aliquem, vel fieri aliquid, *Ad facies alicujus*, ex usu lingvæ sanctæ præsentiam unius ad alterum notat, *Esaï. LXVI: 22. &c.* *Ad facies DEI* vel *coram DEO* esse, vel aliquid agere, præsentiam DEI quoqve indicat, qvam reverentur & colunt Sancti, *Gen. XVII: 1. & XXIV. 40. 1. Reg. XIII: 15. &c.* vel aliud præsentia divinæ usum notat. *Stare ad facies DEI*, itidem de præsentia singulari, *Gen. XIIIX: 22. &c.* Proinde qvi hic, id saltem innui vult, qvod Jehosua in hac visione, *coram & in conspectu Angeli* steterit, id dicit, qvod nemo negare potest. *Stare ad faciem* alicujus, idem esse ac *ministrare*, dici neqvit, nisi admittatur *τευνλογια*, ubi *ad ministrandum additur*, ut *1. Reg. IIX: 11.* vel præponitur, ut *Ezech. XLIV: 15.* Sed ex ratione contextus, nude positum, *Stare ad facies* alicujus, etiam *ministerium* includit, sic *1. Reg. I: 2. 2. Par. X: 6. Jerem. LII: 12. &c.* Et peculiariter de *sacerdotum ministerio*, *Judic. XX. 28. &c.* Qvi propterea accedentes ad *DENm*, *Exod. XIX: 22.* & propinqvi ejus vocantur, *Lev. X: 3,* Proinde si extra formam judicii, & in aliquo opere sacerdotali, vidisset Jehosuam Propheta, tunc *stare ad facies Angeli*, *ministerium* ejus indicasset. Verum, qvia in nulla sacerdotalis functionis parte occupatus introducitur, sed e contra *coram* judice, *Gen. XIIIX: 25.* qvi tamen postea *advocatus & defensor*, ex gratia factus, *1. Job. II: 1.* sstitur, peccatorum obnoxius, & ad dextram habens infenissimum adversarium: ideo phrasis *stare ad faciem*, exponenda est, qvod ut *accusandus & reus* hic *coram Angelo* steterit: Sic quoqve ante nos alii. Loca investigavimus ubi hoc vult eadem locutio. *Non morietur homici-*

bomicida, donec steterit ad faciem congregationis ad judicium, Num. XXXV: 12, Josuæ XX: 6. 20. Ecce sumus ad facies tuas in delictis nostris. Esdr. IX: 15. Et cum eodem humilationis affectu intelligi potest, 2. Par. XX: 13. Qvamq; non dubitamus, propiora loca plura inveniri, si otium fuerit inqvirendi. Vocabulum Græcum ἐνώπιον, ut alias, ita etiam in judicii respectu & descriptione, respondet Hebreorum lib;ne, ad facies, Luc. XXIII: 14. 1. Cor. I: 29. 1. Tim. VI: 12. 2. Tim. II: 14. & plenius Apoc. XX: 12. Causa est non nulla, qvod hoc ita firmatum cupimus: siqvidem in temptationibus hic primarii solatii nervus est, scire nos habere JESUM defensorem, non solum tunc, qvando Deo ministrantes, ante facies ejus stamus, vel in viis ejus ambulamus; sed & qvod tunc, qvando multorum criminum rei accusamur, nos defendat. Si modo in vera contritione abjectas velimus sordidas peccatorum vestes, & in vera fide sanctæque vitæ proposito, sanctæ justitiae Christi togam desideraverimus: Ideo additum hic v. 3. Erat indatus Jehosua vestibus sordidis & stabat ad facies Angeli. Illum non abegit, qvamq; peccatis contaminatus erat, Rom. IV: 5. & V: 6.

§. VI. Seqvitur horribile spectaculum: *Et Satan stabat ad dextram ejus, videlicet Iehosuæ.* Satan hic est *malus Angelus*, ex prava illa lapsorum multitudine, sine dubio, primarius: Nam ut res agebatur, regno diaboli maxime noxia, institutio Ecclesiæ, reædificatio templi, &, qvæ præcedere debebat, reconciliatio populi & sacerdotum Dei cum Deo; ita non dubitandum, qvin primus inter illos hic accusatorem se stiterit: Ideo appositum præfixum *ha-Satan*. Quemadmodum in primis capitibus Jobi saepius, & in Nov. Test. ὁ Σαλαῦς, Matth. XII. 26. Luc. XXII. 21. 2. Cor. XI. 14. & cujus prolixior descriptio, Apoc. XII. 9. LXX, h. l. ὁ διάβολος R. Aben Esra, nec non R. David Kimchi, hic intelligunt Sanballatum ejusque socios, qui Judæorum conatus reædificandi templum & civitatem, illudebant ac impediabant, Nehem. II. 10. 19. & IV. 1. 7. &c. Non obscure eandem

dein sententiam probat *R. Jacob Abendana*, in suo spicilegio ad *Michlal Jophi*; Ubi & alium Rabbinum laudat qui *Antiochum Epiphanem* hic intelligit; quam opinionem *Voëtius Disp. select. Tom. I. pag. 906.* etiam *Aria Montano* tribuit. Accuratus, ut solet, procedit *R. Abarbanel* in Prophetas posteriores, p. 283. Inter decem quæsita ad visionem quartam, hoc primum facit: *quis sit Satan ille?* An sit *figmentum malum*, secundum sententiam *R. More*, verum quia per id, ex usu Thalmudistarum, Angelum malum, sive ut vocant, *Angelum mortis* intelligere oportet, ideo hanc sententiam tanquam improbabilem rejicit, quia non convenit, ex mente ejus, ut *Angelus malus* staret ad dextram sacerdotis summi sancti Domino: recipit vero sententiam *Aben Esra & Kimchi*, probatque ex *Esra IV. 6.* *Scripserunt (Sitnah)* accusationem contra habitatores *Jehudah & Jerusalem*. *Sitnah v. Accusatio a Satan adversario*, derivatur. Sed ut *Judæi* in agnoscendo vero Ecclesiæ defensore, cæci sunt, ita quoque circa hostem ejus, non raro cæcutiunt. Rabbinis opponimus auctoritatem *Jonathanis Targumistæ*, qui hic *chattah*, peccatorem interpretatur: qua ratione tanquam auctor primus omnis mali & peccati, etiam in Nov. Test. ὁ μονῆς, *malus ille*, appellatur, *Matth. XIII. 38.* *Epb. 6. 16.* *I. Job. III. 12.* &c. Præterea *R. Salomon Jarchi* in dubium non vocat sententiam de angelo malo; Nomen ejus, ut antea dictum, non minus hic bis, ac in libro Jobi quindecies, cum demonstrativo præfixo ponitur, at ibi *Chaldeus*, exigua instexione, nomen *Satan* retinuit, & *Aben Esra*, de angelo capit, prolixe adferens & rejiciens opinionem *R. Saadie*. Pariter *R. Moses ben Nachman*, de *Angelo mortis* exponit. De ratione *Abarbanelis*, ex eo quod ad dextram stetit, post videbimus. Locus *Esra IV. 6.* nihil nos movet, nam si fuisset in visione *Samballat* vel *sociorum aliquis*, utique ille & que ac *Jehosua* nominaretur. Et contra vim externam humanam resistentem, jam ante ex visione secunda, *Zach. I. 20. 21.* sat consolationis habebant, ut non opus fuisset, hanc novam addere. Convenien-

tia inter nomen *Satan* & *accusationem*, non obstat, ubi res ipsa aliam accusationem indicat, quam qvæ *Exdr. IV. 6.* Sed nec minoris momenti qvæstio est, *An revera hic adfuerit Angelus malus?* An vero, in imagine vel specie aliquæ, visioni Propheticæ convenienti? Affirmamus prius; Expressæ namq[ue] hic dicitur *stetisse ad dextram Jehosuæ*. Et qvod notandum, Non ait Prophetæ: *Et ostendit mihi Jehosuam & Satanam*, ut *Drusius* legi posse existimat, sed ait, *Et ostendit mihi Jehosuam, & Satan stebat ad dextram ejus, &c.* Ideo cogitandum, qvod Angelus increatus Filius Dei, permiserit inimico & adversario, nunq[ue] non circumvaganti terram, *Job. I. 7.* *I. Pet. V. 8.* ac imprimis tunc operoso, in impediendo opere sacro, ut accederet, seqve accingeret, ad accusandum; ut eo validius Omnipotens ille suorum defensor, divina increpationis sententia, hostem infensissimum repelleret & abigeret? Ipse adest Diabolus, cum permissionem aliquid faciendi, a Deo impetrat, *Job. I. & II. I. Reg. XXII. 22. Matth. IX. 31.* Annon & tunc adlit, cum judicium & sententiam increpatoriam audit? Certe hoc non magis negari potest, & minus negari debet, quam illud. Rem extra omne dubium ponit, locus *Apoc. XII. 10.* Non certe imago vel umbra Diaboli, sed ipse est κατηγόρων, accusans fratres beatorum in cœlo triumphantium, ante conspectum Dei, die ac nocte: Si aliter dixerimus, non una inextricabilis exsurgeret difficultas; Num credamus Filium Dei subornasse aliud aliquod visibile, speciem Diaboli gerens? Et si ita fuisset, An illa species potuisset Satanae narrare sententiam contra se latam; vel si narrasset, An sic validam agnosceret Diabolus? Alia erat ratio Jehosuæ: omnia qvæ, qvæ ad illum spectabant, vidit & audivit Prophetæ, idq[ue] eo fine, ut ea in nomine Domini, illi ac toti Ecclesiæ Judaicæ denuo diceret, ac postmodum, secundum ductum Spiritus Sancti, scripto consignaret. Dicis, Diabolus spiritus est, & sic non poterat videari? verum cogites, illum hic ut adversarium Jehosuæ acces-

sisse, & ut ab illo consiperetur, formam vel speciem visibilem induisse.

S. VII. *Stabat autem Satan ad dextram Iehosuæ.* Plures ejus rei causæ assignantur. *Grotius ait: quia in tribunali- bus latus dextrum est actoris,* ita fere & *Drusius,* hoc obtinuisse apud Romanos, *Coccejus* ad h. l. & apud *Judeos,* *Tarnovi- us,* afferunt, Ac qvoniā ea erat diaboli impudentia, ut acto- ris & adversarii partes, contra *eruptum ex igne torrem Ieho- suam,* susciperet: ita hæc ratio responsi loco sufficeret, ad id qvod antea objiciebat *Abarbanel,* incertum an dignitati Ieho- suæ, vel modestiæ diaboli magis sic consulturus. Verum ad- dimus & hoc: *sicut ad dextram esse alicui juvando,* est insi- gniter ac prospere res alicujus servare & promovere, *Psal. XVI. 8.* & *CIX. 31.* & *CX. 5.* & *CXXI. 5.* *Ezaj. LXIII. 12.* &c. Ita qvando qvis ad dextram stat ad adversandum, innuitur qvod summo conatu & validissime resilit, qvoniā sic dextram, a- ptissimum agendi instrumentum, impedire ac continere vult; ut bene observavit *Pembellus.* Præterea qvoniā res hic ut in judicio agitur, tota phrasis commode illustratur, ex *Psal. CIX. 6. 7.* Ubi talis est imprecatio in hostem Christi: *Consti- tue super eum impium, & adversarius (Satan) stet ad dextram ejus, cum judicatus fuerit, execat impius, & oratio ejus sit in pec- catum.* Sic quando *Satanas,* angelus malus, dicitur stare ad dextram Iehosuæ, id indicatur, qvod vehementissima accusatio- ne urgere voluerit, ut *Iehosua judicatus impius exiret, & ora- tio ejus esset in peccatum.* Sed & id ad proxime allatum e *Psalmis* locum, notandum, qvod ibi non necessario de Ange- lo malo, accipienda est vox *Satan*, sed de qvovis adversario; sic non raro occurrit: *vid. 1. Sam. XXIX. 4. 1. Reg. V. 4. & XI. 14. 23. 25.* conf. *D. D. Gejer.* in *Psalmos.* Verum in illis locis, non ita peculiariter indice usurpatur vox *Satan*, ut in *Jobi* & *Zachariæ* libris, ac proinde non seqvitur, etiam in proposi- tis verbis de qvovis adversario agi. Peculiaris usus vocabuli

ii Quām pēnam intentavit Jehosuē, & cur?  
est, Matth, XVI. 23. & plus ibi dictum, qyam 2. Sam. XIX. 22.  
qvia consilium Petri, & gloriæ Dei adversum, & Satanico re-  
gno proficuum fuisse. Cujus reprehensionis periculum incur-  
runt, qvi impedire conantur, qvod in gloriam DEI vergit.  
Seqvitur in verbis Zachariae

§. IIX. Stabat Satan ad dextram Jehosuæ, ut adversare-  
tur ei. In Hebræo elegans est ad nominis rationem allusio,  
stabat ha-Satan leſtno, ad adversandum ei. Vere tunc, inquit  
Tarnovius, mensuram nominis sui implens. Neque tamen hic  
mentio fit aut criminis, cuius Jehosuam insimulavit, aut pœ-  
ne, cuius illum reum postulavit Satanas: sed ex accusationi  
opposita defensione, & ex investitura, ut ita loqvar, sacerdo-  
tali, qyam in visione ostendit Filius DEI, apparet hoc maxime  
agere voluisse diabolum, ut pœna loco Jehosua indignus de-  
clararetur sacerdotio, ne sub illo, ejusve cura, structura templi  
procederet, aut cultus solennis restitueretur. Sic bene expo-  
situs est in notis Bibl. vernaculis. Crimen Jehosuæ, Vatablus  
negligentiam statuit, vel, ut pluribus effert Tirimus, fuit se-  
gnities in munere docendi populum, eosq; ad obedientiam & ad  
edificationem provocandi. Plures commentatores in eo con-  
veniunt, qvod remissior erat, sinebatq; proprios filios & fratres  
alienigenis copulari: Esræ, X. 18. habent id ex R. Salomo Jar-  
ebi, qvi eousque processit, ut dicat, Jehosuam mundum ac  
purum fuisse, etiamsi filii illicitis matrimonii peccaverint.  
Rectius B. Tarnovius & D. D. Calovius, occasione vestium for-  
didarum, v. 3. monent; sacerdotem maximum cum suis collegis,  
ac auditoribus, multis magnisq; peccatis pollutum fuisse, etiam  
post captivitatem, ut in libris Esræ & Nehemie ultimis capitibus,  
ac primo Haggæi videre est. hoc indicavit carnalis & mactula-  
ta ejus tunica, Jud: Ep. v. 23. Hieronymus expresse ait: Vera erat Sa-  
tanæ accusatio, ac certam sibi pollicebatur victoriam de inimico. Nec  
dubium, qvin vehementissime accusationem instituerit, cum  
eousque redactum videbat sacerdotium, ut sibi ad sinistram in ju-  
gū staret summus sacerdos.

§. IX. Sed nunc tempestive seqvitur in visione, validissima Jehosuæ defensio, *Et dixit Jehovah ad Satan: Incepit Jehovah te Satan, &c.* Jehovah loquens, est *Filius Dei*, qvi & *Angelus* appellatur, hic *v. i.* Prorsus insanus est *Grotius*, qvi ut nonnulli *Judaorum*, hic per μελανήν aut ἔλαιον, intelligendam esse vocem *Jehovah*, de *Michaële*, censem: quia partes *Dei* agit; merito hic castigatus a *D.D. Calovio*. Et laboriosissimus *Anglus*, *Mattheus Polus*, qvamvis sibi proposuerit, tradere qvævis interpretamenta sine aliquo examine, hanc tamen *Grotij* corruptelam sine censura dimittere non potuit, sed addit: Illam *Grotij* & qvorundam apud *Druſium*, sententiam, refutat *communis gentium praxis*, & usus loquendi: neq; enim, *v. g.*, legatus Regis Britanniae, dicitur Rex Britanniae, sed legatus Regis, &c. Nonnulli veteranum sub nomine *Jehovæ*, etiam *Job. I. 6.* Angelum intelligebant summum, creatum tamen, per qvem Dominus cum Satana locutus fuisset, vid. *Coccejus in Job*. Et forte simile qvid in mente habuit *Voëtius*, qvando *Job. I. & II.* nec non, *i. Reg. XXII.* tanquam hypotyposin parabolicam, tutius accipi posse existimat. Credo bonos viros indignum DEO putasse, si cum Diabolo loqueretur, sed (1) Loquela b. l. intelligenda DEO conveniens. (2) Non est indignum Judici, si in judicio cum malis loquatur, verba sunt *D. D. Seb. Schmidij* in *Job*, pag. 23. Addens, *Recte contrà asseritur, ubiung Deus dixisse, aut locutus esse dicitur, vox Domini proprie sumitur.*

§. X: Dura autem verba dixit Jehovah ad Satan: *Incepit Jehovah te Satan.* Bene hic observavit *Pembellus*: Non disputat Dominus cum Satana, sed eum obmutescere cogit, Accusatio enim, licet vera, intempestiva erat & maligna. De sensu verborum *Incepit te Jehovah*, videndum. Certum est, qvod increpare notet, verbis reprehendere, Et sic *Rabbi Nathan* exponit in *Concordantiis*, & patet *ex Gen. XXXVII. 10. Ruth. II. 16. Prov. XIII. 1. 8. & XVII. 10.* sed & de malo affligente, qvod ultra

tra verba procedit, usurpatur, *Cur non increpasti Jeremiam?* *Jer. XXIX. 27. de pulsione in fugam, Esaj. XXX. 17. Chilias (vetrum) una, a facie increpationis unius, & a facie increpationis gving, fugietis omnes.* Lutheri versionem merito hic laudat *D. D. Warenius in Esajam, pag. 380.* Svetica, generaliorem vocem *Roop/ adhibet, Fennica prorsus omisit.* Ex istis locis colligitur *increpare*, etiam in humanis, vehementem reprobationem verbalem, *Prov. XIII. 1. vel gravem repulsionem realem, significare.* At quia pro ratione potentiae & irae in increpante, gravior vel remissior est increpatio, ita oportet illam, quae a Deo irato provenit, esse vehementissimam. De illa autem capiendum, quoties praeter adducta loca in Vet. Test. occurrit: Occurrit a. *unde viginti locis de Deo, nam Verbum gaar, increpavit, decies legitur; nomen gearab, increpatio, novies.* At semel *migereth, Deut. XXIX. 20, ubi a Pagnino redditur contratio;* Ubique vero *increpatio a Deo, notat insignem & omni vi humana majorem, potentiae aut irae Divinæ, aut utriusque effectum.* *Columne cœli obstupeſcunt ab ejus increpatione, Job. XXVI. ii. denudantur ab illa, fundamenta terra, 2. Sam. XXII. 16. Psal. XIIIX. 16. fugiunt ab illa aquæ, Psal. CIV. 7. Exiccat eadem mare, Psal. CVI. 9.* Et sic saepius ad mare refertur, *Nahum I. 4. & alibi, etiam in Novo Testamento, Matth. IIIX. 26.* Id ubique vult, quod res increpata sine aliqua vi resistendi, Deo cedat. Vix enim, quando res inanimatas tangit Dei increpatio, perditionem vel destructionem illarum includit, praeter *Malach. II. 3.* Ubi *Pagninus, Arias, Junius Tremellius, Pineda, &c. reddit corrumpere.* Verum quando *increpatio Dei animata ferit, aliud dicendum, & per extirpationis, occisionis, vel coercitionis effectus, explicanda est, Psal. IX. 6. Increpasti gentes, Pagninus, reddit, Subvertisti: plures, perdidisti, Psal. LXIX. 31. Increpa feram, ubi plerique interpretum vertunt: disperdere vel disperdisti. Esaj. LI. 20. Filii tui defecerunt, jacuerunt -- pleni excandescientia Domini, increpatio Dei tui. Esaj. LXVI. 15. Ecce Dominus in igne veni-*

veniet - ad reddendum in ira furorem suum, & increpationem suam in flamma ignis. Malach. III. II. Et increpabo vobis (in usum velstrum) devorantem, & non corruptet, h. e. noxia animalia exterminabo. Ex vi itaque vocis in hisce, ad mentem plerorumque commentatorum in h. l. verba Jehovae ad Satan, ita explicat D.D. Gejerus in Psal. IX. 6. *Increpet te Jehovah, h.e. te iniquum accusatorem depellat severa a tribunali suo, atq; ne porro interpellas, viam intercludat supplicis inflictis gravibus.* Subjungit verba B. Lutheri. *Gottes schelten ist so viel/ als dem Teufel wehren vnd abschrecken/ daß er sein furchtnehmen durch Gottes Gewalt muß lassen.* Et quod illud increpare per conterere ex Rom. XVI. 20. exposuerit, monet. Vinarienses de increpatione sic scribunt: *Gott der himlische Watter bändige dich/ und wehre deinem bösen furchtnehmen.* In priori verbo eleganter respiciunt domationem ferocium animalium, quæ vinculis verberibusque fit. Parum dicit Coccejus in Lexico, quando increpat, Zach. III. exponit, silere jubet. Ambiguum dictum à Vatablo in h. l. *Increpet te, h.e. avertat te a voluntate tua;* melius quod addit: *prohibeat ne possis accusare.* Et hoc fere reddit sensus aliorum commentatorum: minorem diserepantiam examinare nunc non vacat. Verum id forte non placebit Judæis, quibus, ut vidimus supra, magna erat cura, loco Satanæ aliud substituere adversarium: illi forte & nunc *increpationem ultra verbalem reprehensionem* extendere non velint. laudabunt regulam Aben Esra, ad Psal. IX. 6. quando scribitur *sine beth, h.e. in, tunc notat excisionem,* citat Rabbinus Mal. II. 3. Hanc observationem habet ex illo Buxtorfius in Lexico. At fidentius eandem usurpavit Drusius in Mal. II. suppresso tamen nomine. Et quia habetur bis in verbis propositis cum beth, *in: increpet in tc Satan,* ideo *verbis saltēm increpatum* urgebunt. Verum enim vero, ausim dicere, odio Judaico, quo semper gens ista de gentibus loquitur, istam regulam confictam ab Aben Esra: Nam Mal. III. II. ubi additur *in,* non minor cogitan-

tanda est perditio vel extirpatione noxiorum animalium, quam gentium, *Psal. IX. 6.* & superbonum *Psal. CXIX. 21.* & ferarum, *Psal. LXIIX. 31.* ubi & non alibi præter *Mal. II. 3.* abest in, Imo *Esaj. XVII. 13.* ubi itidem *increpat in eum*, ex contextu de non minori poena capiendum quam *Psal. IX. 9.* Præterea quod *LXX.* hic reddunt: ἐπιμηθεῖς τὸν Κύρον; Id *Judas v. 9.* ἐπιμηθεῖς τὸν Κύρον. Habuit itaque pro eodem: alias dicendum; aut minorem dicam Diabolo scriptam apud Zachariam, quam apud Judam; aut Apostolum vim phraseos Hebræorum, propter genium linguae Graecæ omisisse, quod non temere admittendum.

§. XI. Sed attendenda vis repetitionis: *Et dixit Jehovah, ad Satan, increpet Jehovah te Satan, & increpet te Jehovah: qui eligit Ierusalem.* Insignis & mysterio non carens repetitio: ac proinde gravissimus error in editione Græca *LXX.* interpretum, quæ cum Vatabli versione prodiit, A. 1587: quoniam ibi omittitur, at in reliquis, ut & in aliis Orientalibus comparat. Omnino certitudinem rei, ac diligentiam suam sic indicavit *Jehovah loquens*, ut existimat *B. Tarnovius*; Verum ultra quid quærendum esse judicamus. *R. Abarbinel* ultro fatetur, in confessu esse, quod in scripturis frequenter duplicentur voces, in re eadem, ut reddatur sensus intensior, sed inquit, p. 283. columna 1. Non notum est, quod inveniatur in scriptura duplicatus sensus, verbis aliis, hunc in modum, ut in isto increpet *Jehovah te Satan, & increpet te Jehovah:* Et si secundum sententiam interpretum nostrorum, *Satan* sint angustantes *Jehudam*, quæ erit illa increpatio? Fatendum est, quod quando in Scripturis Divinis legitur, *Jehovam* locutum de *Jehova* vel ad *Jehovam*, id evidentissimum esse argumentum, plures esse in Divinitate Personas, quod & rectissime in notis Bibliorum vernaculis observatum est, ad h. l. & alibi: Latius hoc ipsum demonstrat *D. D. Calovius, System. Tom. III. pag. 24. seqq.* ut alios nunc non addam. Et haec est ratio, quod plerumque ita exponant Theologi: *Dixit Jehovah ad Satan, increpet te Jehovah,* hoc est.

*Dixit*

Dixit Filius Dei ad Satan; increpet te Deus Pater; Sic Eusebius, Hieronymus, Theodoretus, ap. Baldv. conf. in b.l. Vinarienses, Belge, Pineda & Drusius, qui tamen suam inconstantiam prodit, dum illam locutionem: *dixit Iehovah*, increpet te Iehovah, conferendam putat cum hac: *dixit Moses sacerdos Mosis*, quam nullibi in scriptura invenies, & incongrue admodum dicit esse similem huic: *Pluit Dominus a Domino*, Gen. XIX. 24. Sunt equidem in codice Vet. Test. perplurima loca, ubi bis ponitur nomen Dei vel Iehovae, unus loquens de altero, Exod. XI. 1. 3. & XXIII. 20. 21. & XXXIII. 19. Mal. III. 1. Ac in his vera est regula B. Lutheri: *Duabus personis nominatis, includitur persona Spir. S. loquentis in scriptura. 2. Sam. XXIII. 2. 2. Pet. I. 21. Gerh. Disp. Isag. p. 151.* rationem vero intimorem, pro subintelligendo in illis Spiritu S. monstravit D.D. Seb. Schmid. de antiquiss. fide Mosaica circa myst. Trin. & in Coll. Bibl. V. T. pag. 113. Interim suo pondere omnino estimanda loca, ubi ter habetur Iehovah, in illo posita. Non enim verum est dictum Abarbanelis, talem repetitionem, qualem hic habemus, non amplius reperiri in S. scriptura; damus locum huic nostro omnino similem, in quo ter ponitur Iehovah, & ita, ut Iehovah loquens bis repetat Iehovah, Iehovah, idque non solum in eodem Pasuk, sed & ante Annach. Exod. XXXIV. 6. Et transivit Iehova, ante eum (Mosen) & clamavit Iehovah, Iehovah, misericors & gratiosus. Ex hoc loco nontantum pluralitas Personarum probatur, de quo cit. Colleg. Bibl. pag. 126. sed & rectissime sic connectunt Vinarienses: Rieff er (predigt der Sohn Gottes und sprach) Heril Hervi Gott (Vatter und H. Geist.) Cumque praeter ea ex tria repetitione, Exod. III. 6. Ex solenni benedictione, Num. VI. 24. 25. Ex Trisagio, Esaj. VI. 3. aliisque longe plurimis documentis, informati fuerint pii Vet. Test. de S. S. Trinitate: ideo credimus in loco Zachariano, certum respectum esse ad Mysterium Trinitatis. Nam si dicunt ideo repeti ad firmandam rem, ut saepius in lingua Hebreorum, ostendent rationem eur Iehovah bis & non ter repeat nomen illud sanctissimum; sic enim tria aliarum rerum repetitio occurrit, Ier. VII. 4. & XXII. 29. Ezech. XXI. 27. At quia Jehovah tantum bis, & hic & apud Mosen exclamat Iehovah, Iehovah, indicat praeter se esse duas personas, de quibus Iehovah prædicitur: Advertendum voluit ad Trinitatis mysterium, Munsterus ad h. l. rationem hanc addit: Quia Dominus locus eius est ad Dominum, utring, enim in Hebreo scribitur nomen tetragrammaton. Sed illa ratione firmissime pro pluralitate concluditur. Conf. B. Gerhard. Disp. Isag. de Trinit. c. II. cum c. IV. Distinctius tradit D.D. Calvius System. Tom. IV. pag. 259. Et dixit Iehovah, (Angelus ille Dominus) ad Satan; Iehovah (Deus Pater,) increpet te Satana, Iehovah (Spiritus S.) increpet te. Tertio loco positum Iehovah ad Spiritum

S. referendum esse patet, quia est tertia Divinitatis persona; deinde quia pulsio dæmoniorum, peculiari ratione illi adscribitur, *Mattb. XII. 28. Luc. XI. 20.* deniq; quia electio Ierusalem, cum tertio loco posito nomine *Iehovæ*, connectitur; quæ electio respicit Ecclesiam.

§. XII. Ita namq; repetuntur verba: *Et increpet te Iehovah, givi eligit Ierusalem.* Loco & Et, plerique interpretum, inquam reponunt: *increpet te, inquam Dominus, sic Vatablus, Munsterus, & qui Syriacam & Arabicam versionem Latine reddiderunt, id tamen in ipsis Orientalibus non legitur.* Genevensis: *Voire l'Eternel, qui a eslu Ierusalem.* *Diodati* hoc modo, prioribus similior: *sgriditi, dico, il Signore.* Svetica ex Luther, *Ia. Hæren nápse tigh.* In rem nostram optime Anglus, *Even the LORD that hat chosen Ierusalem.* ille Dominus qui elegit Ierusalem. Sic quoque versio Fennica: *Se Hærra/it. qvod commodissime exponitur per Ex̄āv@, ille:* At hoc pronomen ille, est quasi characteristicum tertiae personæ in Divinitate, ut ex *Job. XV. 26. & XVI. 13.* B. Gerhardus in *Harmon. c. 176.* monet. Addimus & hoc ex *Targum Ionathan*, qui ita verba ista dicitur. *Increpet te Dominus ille, cui placuerit collicare schechinah,* h. e. visibilem gloriae suæ apparitionem, *in Ierusalem.* At quoniam omnium Judæorum opinione, absuit Schechinah a templo secundo, vid. *Kimchi ad Hagg. I. 8.* & autores citati à D. Licent. Carpzovio, Prof. Lips. celeberr. in notis ad *Schichard. jus Regium*, pag. 28. Proinde erat, si non in templo, tamen Hierosolymæ illustris admodum Schechinah, die Pentecostes, quando visibiliter Spiritus Sanctus datus est Apostolis. Actio illa Divina, *eligere Ierusalem, toties in solarium Veteris Ecclesiæ laudata.* 1. *Reg. II. 44. & XI. 13.* 2. *Reg. XXI. 7. &c.* Tribus quidem Divinitatis personis, communis, tamen quia hoc in loco ponitur, ad indicandum certissimum propositum Divinum, parandi sibi per restaurationem Ecclesiæ Hierosolymitanæ, amplissimam Nov. Test. Ecclesiam, *Zach. I. 17. & II. 12. Esaj. II. 3.* ita credimus, in loco nostro idem obtinere, quod in Symbolis Ecclesiæ nostrarum, ductu Scripturæ Sacrae fit, dum beneficia Domini Ecclesiæ data, peculiari attributione Spiritui Sancto adscribantur. Absit tamen ut excludatur Pater vel Filius Dei. Rationem attributionis monstrat B. Lutherus in *Catechesi;* & prolixius S. Augustinus, serm 186. de tempore. Suo loco rectissime dictum a B. Tarnovio, consentientibus Vinariensibus: *Elegit Dominus Ierusalem, ut esset urbs in qua Messias tandem aliquando in his terris, visibili sub specie viveret, ac opus redempcionis perficeret.* Adeoque de Ierusalem cum ambitu suo proximo, dixit Salvator: *Ecce ascendimus in Ierusalem* &c. *Luc. XXIX. 31.* Ipsam vero passionem extra civitatem inchoavit in horto, *Mattb. XXVI. 36, 37.* & ex-

*tra portas consummavit, Hebr. XIII. 12. ac resurrexit, Joh. XIX. 41. Sed Spiritus S. non nisi Hierosolymæ visibili modo dandus: Spiritus S. semper quoque est in Ecclesia, typo Jerusalem adumbrata, Esaj. LIX. 20. 21.*

§. XIII. Sed & consideratione dignissimum est, quod Filius Dei, qui in statu eximationis, non semel increpavit Diabolum, *Mattb. XVII. 18. &c.* hic ait: *Increpet Jehovah te Satan?* Ratione unitatis essentiae Divinæ, & quoad effectum ac eventum ipsum, non minus a Filio Dei hic increpatus est Diabolus, *Jehosuam accusaturus, quam ibi in historia Evangelica, ejecta sunt Dæmonia; nam accusationem suam Satanus omittere cogitur.* quoniam sequuntur in visione, quæ ad ornandum & instruendum *Jehosuam faciebant: ae fugatum Diabolum, exinde concludere licet, quia v. 4. dicuntur illi solum stantes ante Angeli facies,* qui sordidas removebant vestes, angeli sc. boni: *Ipse autem Salvator in diebus carnis sua increpando ejiciebat Dæmonia, cuius rei causa sine dubio erat, ut ostenderet se esse Messiam, Deum & Hominem, Divinamque habere potentiam, & ut open Diaboli destrueret, apparuisse, Mattb. IX. 29. 1. Job. III. 8.* Et sic non usus est ea formula, quam apud Zachariam legimus; rem ipsam tamen non dissimulavit, *vid. Mattb. XII. 28.* Quod autem ita, in loco Propheticō, locutus sit, omnino ex sapientiae Divina consilio factum est. Duas ejus rei dedimus rationes supra §. IV. circa finem: addimus nunc alias duas, videlicet: ut ostenderet se esse verum Mediatorē inter Deum & homines, idque non solum in sequentibus quartæ visionis actibus, sed & peculiariter in procuranda vera suorum defensione contra Satanam. Observarunt id Belge in notis suis ad h. I. Et B. Tarnovius ex primis verbis v. 2, hunc elicit locum communem. *Christus non tantum est Mediator pro Ecclesia tota, apud Deum Patrem intercedens, 1. Job. II. 1. 2. sed imprimis pro fidelibus ejus ministris omni, Luc. XXII. 32. Job. XVII. 8. 9. 15. 17. 20. sicut h. I. sacerdos maximus causam fideliter agit contra Satanam.* Altera ratio est: ut eo major inde nasceretur Ecclesiæ Judaicæ consolatio, postquam scivisset se adversus accusationes Satanæ, & omnem potestatem infernalem, ita defendi Divinitus; quod Jehovah Filius Dei, non solum denunciata increpationis sententia, Satanam accusantem abegerit; sed &, quod rogaverit Jehovah Patrem, & Jehovah Spiritum Sanctum, ut porro Satanam increparet, & suppliciis ac vinculis coerceret.

§. XIV. Ultimè in verbis Zachariae propositis dicit Jehovah Dei Filius de Johosua: *Nonne hic torris eropus de igne?* Bis præter h. I. vox Hebreæ occurrit. Prior locus nostro dissimilior, *Esaj. VII. 4. Ne mollescat cor tuum, a duabus caudis titionum sumigantium istorum;* sic duo Reges hostes Iudaorum appellantur quoniam vanam eorum esset ira & brevi ex-

stirpanda ita Scholastiæ Vinarienses & Anglici. Calvin. Musculus, Forer. Alter locus, Amos IV. 1. Subverti vos, quemadmodum subvertit DEUS Sodom & Gomorrah, & fuisti sicut torris ereptus de incendio. Respici volunt nonnulli ad, 2. Reg. XLV. 25. Et quia apud Amosum non de uno tantum, sed pluribus vox torris, usurpatum, putamus non incommodo sentire illos, inter quos sunt Glossatores Bibl. vernaculorum, qui & eandem vocem hic apud Zachariam intelligunt, de populi Judaici reliquiis e captivitate Babylonica reductis, illorum enim omnium sub typico Iehosuæ, defensorem se ficit Jehovah Omnipotens. Fabula est Judæorum, Iehosuam hunc cum aliis, Jer. XXIX. 21. 22. in ignem fuisse conjectum, sed miraculo liberatum vestibus saltē adustis. Habent hanc Talmudici, placetque R. Salomonis Jarchio; referunt eandem R. D. Kimchi, & R. Isaac Abarbanel, sed probant magis sententiâ Aben Esræ, videlicet Iehosuam sic dici respectu captivitatis Babylonicae, e qua ille liberatus, & vestibus sorridis nigrisque, instar torris semiadusti, cum reliquiis quibusdam evaserat, potentia Divina inde ereptus; sic & Christiani exponunt. Afflictiones quippe igni s̄epe comparantur, Psal. LXVI. 12. Ezech. XXII. 20. Zach. XIII. 9. quod & Livelæus in Amos IV. notavit. Verborum itaque ultimorum hic erit, secundum Munsterum & Pembellum, sensus plenior: Crudeliter & injuste agis, qui extingui ignem, resuscitare fludes, tu sonaris etiā hunc relictum titionem auferre? Non ita erit, sed hinc ædificabitur civitas, unde rursum consurget regnum, & quidem magnificissimum, regnum scilicet Christi. Inde B. Baldwinus in b. l. pulchre observat providentiam Divinæ morem servandi paucos, per quos maxima quæque deinde efficit. Esdr. IX. 8. Elegans est meditatio B. Tarnovij in b. l. p. 86. de fidei per afflictiones probato, cum torre ex igne crepto, comparando. Verum illam, aliaque plenius scribenda non admittit proposita brevitas.

§. XV. Multa in ista defensione Iehosuæ meq; tuos totius Christianorum, Eph. VI. 13. spectant. Nunc id tandem dicimus, posse unumquemque fideliū, qui novit se Divino sanguine Jesu nostri ejusque victoriis redemptum esse ac liberatum, factumque in vera fide mystici ejus corporis membra, ac civem caelestis Jerusalem, posse inquam illum, imo debere, plena in Deum Trinum fiducia, Adversarium tentantem vel quovis modo vexantem, ita objurgare: *Increpet Dominus te Satan, increpet te Dominus, increpet te Dominus, qui elegit Jerusalem.*

Rom. XVI. 20. Apoc. XIV. 12.

*Deus autem pacis conterat Satanam sub pedibus nostris velociter!*

*Hic patientia sanctorum est, hic custodientes mandata*

*Dei, & fidem JESU.*